



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 5. Leonis IX. obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Postquam deinde Papa paucis (*) Sæculum XI.
A.C. 1054.
hunc errorem refutavit, dicit, Michael-
lem ex Scripto ampliore, quod Legati
sui deferrent, esse instruendum. Hæc
epistola data est mense Januario, Indi-
ctione septima, seu anno Salutis millesi-
mo quinquagesimo quarto. Unde con-
jicere licet, Legatos, quibus hæ duæ epi-
stolæ traditæ, post breve tempus iter fu-
isse ingressos.

§. V.

Leonis IX. obitus.

Interea Papa adhuc Beneventi inter ma-
nus Normannorum versabatur, pieta-
tis operibus, quæ memoravimus incum-
bens. Sacræ præterea Scripturæ idio-
mate

Sup. l. LIX.
§. 82.

(*) S. Leo in epistola hic dicit: *Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, Et apud quemcunque inveniebatur, peribat anima ejus, de populo suo. Quod si in Cœna Domini J̄esu apparuisset, aut ipse seu Discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores legis perirent: nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et paulo post: Porro nostrum Pascha ideo novum dicitur, quia illud vetus præceptum est Israelitis in memoriam suæ egressionis ex Ægypto: istud vero Christianis in memoriam Domini-
cæ Passionis, qua ad Patrem transivit ex hoc mundo.*

Sæculum XI. mate Græco, licet quinquagenario ma-
 A.C. 1054. jor esset, studuisse fertur, forte ob com-
 vit. c. 12. mercium, quod cum Græcis habebat, ad
 id compulsus. Ceterum Leo ex illa die,
 qua ipsius exercitus profligatus fuerat,
 semper tristis, morbo tandem correptus
 c. 14. est; nihilominus die anniversaria, qua
 in S. Sedem fuerat euectus, recurrente
 Missam solemnī Ritu postremo celebra-
 vit. Humfridum Comitem deinde ex
 Chro. Cass. præcipuis Normannorum Ducibus alte-
 c. 87. rum per nuncium promissi sui memorem
 esse iussit, quod Papam, quoties petitu-
 rus esset, toties Capuam tuto deducere
 vellet. Comes se ipsum cum valida
 Normannorum manu itineris præsidium
 obtulit. Ergo Papa duodecima Martii, re-
 licta urbe Beneventana, lectica vectus Ca-
 puam pervenit; ubi duodecim dies com-
 moratus ad se vocavit Richerium montis
 Cassinensis Abbatem, qui eum Romam
 usque comitatus est. Leo, cum aliquot
 dies in Laterano mansisset, se ad Basili-
 cam S. Petri deferri petiit, ubi Extrema
 Unctione præsentibus compluribus Epi-
 scopis, Abbatibus aliisque, qui ægrotan-
 tem inviserant, munitus, etiam Corpo-
 re & Sanguine Domini Nostri refectus est,
 Deum invocans lingua Teutonica, quæ
 erat ipsi patria, & brevi a morbi ærumnis,
 sive eo depulso, sive celeri morte, libe-
 rari rogans. Tandem Spiritum Deo red-
 didit,

didit, decima nona Aprilis, anno millesimo ^{Sæculum XI.}
 mo quinquagesimo quarto, & magna ^{A.C. 1054.}
 pompa prope Altare S. Gregorii ante
 portam Ecclesiæ sepultus est. Annum
 ætatis agebat quinquagesimum, Episco-
 pus Tullensis vigesimum sextum, Sum-
 mus Pontifex sextum, nam annos quin-
 que, duos menses & dies novem * Sacram ^{* Pagi. dies}
 Sedem tenuit, quæ ipso defuncto prope ^{septem.}
 annum unum vacavit. Ecclesia defun-
 cti memoriam ipsa obitus die colit, nam- ^{Mart. Rom.}
 que miraculis compluribus ejus sepul- ^{19. April.}
 chrum claruit, sicut etiam non nulla,
 cum adhuc luce hac frueretur, patrave-
 rat. Hæc miracula recensentur in Chro-
 nico Hermanni eodem anno millesimo
 quinquagesimo quarto satis functi. Erat
 is Comitis Wolfradi filius, cognomen-
 to latino *Contractus*, quod a prima in-
 fantia fontico morbo contractis artu-
 bus esset, de cetero scientia & virtute ^{Herm. Cont.}
 suo ævo doctissimorum virorum nulli se- ^{Chr. 1054.}
 cundus.

§. VI.

*Humberti Responsum ad Epistolam
 Michaelis Cerularii.*

Inter hæc Legati S. Leonis Papæ itinere ^{Chro. Cass.}
 feliciter confecto Constantinopolim ^{II. c. 18.}
 perveniunt, & a Constantino Monoma- ^{Ap. Baro.}
 cho Imperatore honorifice excipiuntur. ^{to. II. p. 683.}
 Dum ibi Humbertus, Legationis prin-
 ceps,